



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt I. Ex Concilio (a) Sardicensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

TITULUS IV.

De Clericis non residentibus in Ecclesia
vel præbenda.

CAPVT I.

Ex Concilio (a) Sardicensi.

NON liceat Episcopo de civitate sua transire ad aliam. Manifesta est enim (b) causa pro quo facere hoc attentat. Cum nullus sit inventus Episcopus, qui ad minorem de majori civitate transiret,

NOTÆ.

1. (a) *Sardicensi* Can. 1. ut legitur apud Burchardum lib. 1. Decreti, cap. 79. Ivonem p. 5. cap. 185. & in 1. collect. sub hoc tit. cap. 1. & apud Antonium Augustinum lib. 4. epist. tit. 27. cap. 17. ex quibus codicibus constat primò, canonem hunc mutilum referri in hac sexta collectione, cum desit Offi Episcopi Cordubensis propositio, prout refertur in dicto can. 1. in illis verbis: *Offi Episcopus dixit: Non minus mala consuetudo, quam perniciofa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat Episcopo de sua civitate ad aliam civitatem transire. Manifesta est enim causa, quâ hoc facere tentant, cum nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de majore civitate ad minorem transiret. Unde apparet, avaritia eos ardore inflammati, & ambitioni fervore, & ut dominationem exerçant. Si ergo omnibus placet huiusmodi pernicios, austerius vindicetur, nec laicam communionem habeat qui talis est. Universi dixerunt: Placet. Offi Episcopus dixit: Etiam si talis aliquis existerit temerarius, ut forsi-*

tan excusationem afferat, quod populi litteras acceperit, cum manifestum sit pramio, & mercede paucos, qui fidem sinceram non habent, potuisse corrumpi, ut clamarent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur Episcopum; omnino has fraudes demandasse arbitror, ita ut nec laicam communionem in sine accipiat talis. Quod si vobis omnibus placet, statuite. Universi dixerunt: Placet. Quæ posteriora verba reperuntur in cap. 2. de elect. ubi ea exposui. Secundum textum hunc potius compilari debuisse sub titulo de translat. Episcop. Præsens canon maximè factus est contra Eusebium prius Beryti, postea Nico-medie, & Constantinopolis Episcopum, ut apparet ex epistola synodali Alexandrinorum apud Athanasium apolog. 2. ut notavit Dartis in 15. dist. fol. 90. Concilii Sardicensis historiam dedi in dicto cap. 2.

(b) *Causa.* Ambitio videlicet, ut ex sequentibus verbis constat; quæ procul abesse debet ab his translationibus, ut latè probavi in 1. de translat. Episc.

CAPVT II.

(a) Ex gestis Romanorum Pontificum.

(b) **L**Eo III natione Romanus, consilio (c) Lotharii, & Ludovici Imperatorum, sanctam & venerandam LXVII. Episcoporum in Ecclesia beati Petri Synodum congregavit. In hac Synodo Anastasius presbyter Cardinalis tituli B. Marcelli ab (d) omnibus canonicè est (e) depositus, eo quod parochiam suam per annos quinque contra canonum instituta deferuit, & in alienis usque hodie demoratur.

NOTÆ.

1. (a) *EX gestis.* Ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 2. & rectè; nam textus iste transcriptus est ex veteri codice, quod dicebatur Compendium historicum, & gestarum rerum; ex quo verba huius textus retulit Baronius tom. 10. anno 853. & ferè eisdem verbis idem narrat Anastasius Biblioth. anno 853. in Leone IV. illic: *Inter hæc verò, quæ superius scripta sunt, cepit crebrò nominatus sanctissimus Præsul de singulis Ec-*

clesiarum Rectoribus, videlicet Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, atque omnium Christianorum militia curam, sollicitudinemq; habere præcipuam. Volens itaque sicuti & factum est, ex prisca auctoritatis normam præponere, Christo iuvante normam, qualiter unusquisq; eorum vitam castam & sobriam duceret; & Deo, cui semper irreprehensibiliter famulatum debemus impendere, in omnibus complaceret; tunc demùm sancti ei Spiritus gratiâ revelante unâ cum consilio serenissimorum Lotharii, & Ludovici Imperatorum, anno Imperii eorum quinto & trigésimo,